

Subgen. GYMNOCHIROTA.

Tentacula evolacrata.

Spec. 2. STICHOPUS (*Gymnochirota*) *cinerascens* Br.

HOLOTHURIA n. 19. *Mss. Mertensii.*

Corpus dorso convexum, infra planum, spithamæ longitudine vel infra et ultra, pollicis circiter crassitie. Tota cinerascens, sed nigro subirrorata et dorso maculis nonnullis majoribus, transversis, nigricantibus tincta. Dorsum eminentiis mamillatis, sparsis, frequentibus, magnitudine inæqualibus, e quibus pedes exoriantur, obsessum. Pedum in quovis ordine admodum numerosorum et tentaculorum color albo-cinerascens.

Inter lapides in insulis Boninsimensibus.

Spec. 3. STICHOPUS (*Gymnochirota*) *leucospilota**) Br.

HOLOTHURIA n. 10. *Mss. Mertensii.*

Corpus valde elongatum, cylindricum, spithamæ circiter longitudine vel minus, $\frac{1}{2}$ circiter latitudine. Venter vix planiusculus. Dorsum fuscum vel brunneum, punctis nigris, sparsis et verrucis mamillisque pediferis, albidis tectum. Pedes spurii seu dorsales e verrucis vel mamillis præeuntes, ipsis autem mamillis obscuriores. Abdomen sordide albescens, lateribus brunneo submarmoratum, in medio striis tribus fuscis, longitudinalibus, parallelis, parum distinctis notatum. Pedes in singulis quatuor ordinibus biseriali, perpauca, alternatim positi. Tentacula albicantia.

In lagunis insulæ Ualan.

9. *Genus.* DIPLOPERIDERIS*) Br.

Pedes in anteriore et media abdominis parte in ordines quatuor dispositi et in singulis ordinibus biseriali, ita tamen ut utriusque seriei

*) = λευκος (albus) et σπιλωτος maculatus.

**) Nomen derivatum = διπλος (duplex) et περιδερης collara.

singulorum ordinum pedes alterni observentur. Posterioris corporis partis pedes sparsi. Corpus cylindricum, pagina inferiore subplanum. In partis oralis superiore margine corpuscula attenuata, elongata, vermicularia (pedes dorsales transformati), in comae formam disposita, in marginibus lateralibus et in inferiore margine autem corpusculorum similium, sed multo minorum, annulus observatur, qui cutis prolongatione plicam peculiarem, duplicem seu collare duplex exhibente cingitur. Collare interius brevius, exterius magis evolutum et elongatum, margine libero fimbriatum. Tentacula 20, basi processu cutaneo, proprio conjuncta, apice peltato-digitata, ramis pinnatifidis, exterioribus interioribus magis elongatis.

Spec. 1. *DIPLOPERIDERIS Sitchaensis*. Br.

HOLOTHURIA n. 1. *Mss. Mertensii*.

Corpus elongatum, cylindricum, spithamae longitudine vel minus, pollicis et ultra latitudine. Supra brunneum, maculis minoribus, rotundis, nigris adpersum, infra dilute olivascens. Pedes dorsales majores sparsi, ferruginei. Pedes abdominales fusci vel olivascentes. Collaria, excepta basi, e subvirescente nigricantia. Coma fuscescens. Tentacula fusco-flavescentia.

In Insulae Sitchae litoribus vel prope litora.

Observ. Genus *Diploperideris*, quamvis toto habitu cum genere *Sitichopus* conveniat, pedum tamen dispositione, porro tentaculorum forma, nec non collarium ratione et appendicibus propriis a pedibus dorsalibus transformati et peculiari modo evolutis, tentacula cingentibus, diversum reperitur. — Collaris quidem rudimentum vero etiam in aliis *Holothuriis* occurrere videtur, v. c. in *Holothuria elegante* Mülleri (Zool. dan. tab. 1.). Solum igitur collare ad distinguenda genera vix sufficit, sed collare duplex et appendices propriae disjunctionem suadent.